



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum VIII. Quatuor Ætates sive Sæcula.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Plautus monet : *Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit.* Et Tibullus :
Felix, quicumque dolore

Alterius, discēs posse carere tuo.

Huc alludunt & illæ serò sapientium voces : *Nunc scio quid sit amor. Nunc & ego illam scelestam, & me miserum esse sentio. Ah vix tandem sensi stolidus* &c. Plautus. Interrogatus Democritus cur pusillam uxorem duxisset, respondit: Ego ex omnibus malis minimum elegi. Aristippus mulierem parvam, sed pulchram conspicatus: Parvum, inquit, pulchrum, magnum autem malum. Et Pythagoras quæsitus, cur inimico filiam dedisset nuptui: quia nihil, ait, dare poteram deterius.

SYMBOLUM VIII.

Quatuor Ætates siue sæcula,

1. *Metam.*

Ethicè.

1. Quatuor Monarchiæ.
2. Quatuor ætates ex S. Scriptura.
3. Quatuor ætates ex Seneca.
4. Quatuor ætates ex Juvenale.
5. Astrææ imago & officium.

Fixerunt has Ætates Poëtæ, totidem gradibus bonorum & malorum, quot metallorum, inter se discretas. Primum & antiquissimum sæculum, propter præstantiam vocant *aureum*, Saturno tenente cæli, terræque imperium; quo tempore in summa rerum omnium affluentia, quiete & felicitate vivebant mortales, sine turbis, sine bellis, sine curis & molestiis, sine ullis animorum perturbationibus. Unde Ovidius loc. cit.

Aurea prima fata est ætas, quæ vindice nullo
Sponte sua sine lege fidem, rectumque tenebat.

Et lib. 1. *Fast.*

Nondum Justitiæ facinus mortale fugarat:
Ultima de Superis illa reliquit humum.
Proque metu populum sine vi, pudor ipse regebat:
Nullus erat Justis reddere jura labor.

Et Virgilius 1. *Georg.*

Ante Jovem nulli subigebant arva coloni,

Nec

Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat; in medium quærebant: ipsaque tellus
Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.

Exceptit hoc sæculum *argenteum*, Saturnò à Jove pulsò; qua ætate contractum est ver illud perpetuum: secuta æstas: æstatem autumnus: autumnum hiems, & in quatuor tempestates divisus annus. Tum caloribus, frigoribusque uri corpora, vestes contexi, domus ædificari, quibus & illorum molestiæ sedarentur, & horum vis arceretur. Tum necessitas subegit ferere frumenta, vites, arbores: occare, farrire, putare, pastinare, optareque de cælo soles maturos, pluvias opportunas ad maturandas fruges. Mores fuere non aequè candidi, faciles, integri, moderati &c.

Pergit Ovidius:

Tertia post illam successit *abenea* proles,
Savior ingenijs, & ad horrida promptior arma,
Non scelerata tamen.

Denique subjicit quarta, seu *ferrea* ætas, omnium pessima. Poëta cit. de duro est ultima ferro.

Protinus irrupit venæ peioris in ævum
Omne nefas; fugere Pudor, verumque, fidesque;
In quorum subiere locum fraudesque, Dolique;
Invidiæque, & Vis, & Amor sceleratus habendi.
Vivitur ex raptò, non hospes ab hospite tutus.
Non focer à genero: fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti:
Lurida terribiles miscent aconita novercæ,
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa jacet Pietas: & Virgo cæde madentes
Ultima Cœlestum, terras Astræa reliquit.

Nimirum perjurium, perfidia, impudentia, avaritia, rapina, cædes omnia inundarunt: Jus & Fides profligata: Virtus & Probitas in exilium ejecta; Connixit aliquantum Justitia, demum & ipsa migravit è terra, & in *Zodiaco* locata *Virgo* nominatur.

Ethica.

I. (a) Credibile est, hoc ætatum discrimen, quatuor metallorum comparatione declaratum ex historia Danielis manasse, de statua regi Nabu-

(a) Per quatuor sæcula quatuor monarchia denotantur.

Nabuchodonosori per quietem oblata. In qua, prima Monarchia, per *aurum*: secunda per *argentum*: tertia per *as*: quarta per *ferrum* exhibetur, videlicet Assyriorum, Medorum, Macedonum, Romanorum.

II. (b) Quidam explicant, olim in Paradiso omnia fuisse aurea, & ad humani corporis, animique felicitatem pertinentia. Postea cum peccato argenteam successisse aetatem, utcunque quidem innocentem, ut in Abele, Enocho, Mathusalemo apparebat, multò tamen inferiorem illà justitià originarià. Æneum dehinc factum esse sub Tubalcaino, *qui fuit malleator & faber in cuncta opera aris & ferri*. Gen. 4. Nec diu fuisse, cum ferrei mores subintrabant: *Corrupta est enim terra coram Deo, & repleta est iniquitate*. Gen. 6. Ita defecerunt gradatim Virtus & Pietas, eorumque loco subière omnium scelerum portenta. Seneca epist. 90. eleganter depingit hunc aetatum in deteriora prolapsum, quare non pigebit pluscula huc transcribere. Statum quidem, inquit, generis humani, non alium quisquam suspexerit magis, nec si cui permittat Deus terrena formare, & dare gentibus mores, aliud probaverit, quàm quod apud illos Priscos fuisse memoratur:

Ante Jovem nulli subigebant arva coloni &c. Quid hominum illo genere felicius? In commune rerum naturà fruebantur: sufficiebat illa, ut parens, in tutelam omnium: hæc erat publicarum opum secunda possessio. Quid ni ego illud locupletissimum mortalium genus dixerim, in quo pauperiem invenire non posses? Irrupit in res optimè positas avaritia: & dum seducere aliquid cupit, atque in suum vertere, omnia fecit aliena, & in angustum ex inmensò redacta, paupertatem intulit, & multa concupiscendo, omnia amisit. Licet itaque velit nunc convertere, & comparare quod perdidit: licet agros agris adijciat, vicinum vel pretio pellat terris, vel injurià: licet in provinciarum spatia rura dilatet, & possessionem vocet, per sua longam peregrinationem: nulla nos finium propagatio eò reducet, unde discessimus. Cùm omnia fecerimus, multum habebimus: universum habebamus. Terra ipsa fertilior erat illaborata, & in usus populorum non diripientium, larga. Quidquid natura protulerat, id non minùs invenisse, quàm inventum monstrare alteri, voluptas erat: nec aut illi superare poterat, aut deesse inter concordem dividebatur. Nondum valentior imposuerat infirmiori manum, nondum avarus abscondendo, quod sibi jaceret (sine usu & fructu) alium necessarijs quoque excluderet: par erat alterius, ac sui cura. Arma cessabant, incruentæque humano sanguine manus, odium omne in

E

feras

(b) Quatuor aetates ex divina scriptura.

feras verterant. Illi, quos aliquod nemus densum à sole protexerat, qui adversus severiæ hiemis aut imbris vili receptaculo tuti sub fronde vivebant, placidas transigebant sine suspirio noctes. Sollicitudo nos in nostra purpura versat, & acerrimis excitat stimulis; mollem somnum illis dura tellus dabat. Non impendebant cælata laquearia: sed in aperto jacentes sidera superlabebantur, & insigne spectaculum noctium, mundus in præceps agebatur, silentiò tantum opus ducens; tam interdiu illis, quam noctu, patebat prospectus hujus pulcherrimæ domûs: libebat intueri signa, ex media cœli parte vergentia, rursus ex occulto alia surgentia. Quid ni luberet vagari inter tam latè sparsa miracula? At vos ad omnem tectorum pavetis somnum, & inter picturas vestras, si quid increpuit, fugitis attoniti. Non habebant domos instar urbium; Spiritus, ac liber inter aperta flatus, & levis umbra rupis aut arboris, & perlucidi fontes, rivique non opere, nec fistulâ, nec ullo coacto itinere obsolefacti, sed sponte currentes, & prata sine arte formosa; inter hæc agreste domicilium, & rustica positum manu. Hoc erat secundùm naturam domus, qua libebat habitare, nec ipsam, nec pro ipsa timentem: nunc magna pars nostri metûs tecta sunt. Hæc vir ille sapiens, Romanorum sui temporis luxum, & vivendi mollitiem perstringens, per quam longissimè ab illa simplici majorum frugalitate, innocentiaque deflexerunt; hodieque desectimus.

(a) In hanc ætatem improbitatem, & in pejus prolapsionem, acriter quoque invehitur Satyricus Aquinas Sat. 13.

Quondam hoc indigenæ vivebant more, prinquam
 Sumeret agrestem posito diademate falcem
 Saturnus fugiens, tunc cùm virguncula Juno,
 Et privatus adhuc Idæis Jupiter antris:
 Nulla super nubes convivia cœlicolarum,
 Nec puer (b) Iliacus, formosa nec Herculis uxor. (c)
 Ad cyathos, & jam siccato nectare tergens
 Brachia Vulcanus Liparæâ nigra tabernâ.
 Prandebat sibi quisque Deus, nec turba Deorum
 Talis, ut est hodie! contentaque sidera paucis
 Numinibus, miserum urgebant Atlanta minori
 Pondere: nondum aliquis fortitus triste profundi
 Imperium, aut Sicula torvus cum (d) conjuge Pluto:
 Nec rota, nec Furia, nec saxum, aut vulturis atri

Pœna

(a) Quatuor ætates ex Juvenale. (b) Ganymedes, (c) Hebe. (d) Proserpina.

Pœna. sed infernis hilares sine regibus umbræ.
 Improbitas illo fuit admirabilis ævo.
 Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
 Si Juvenis vetulo non assurrexerat, & si
 Barbato cuicumque puer, licet ipse videret
 Plura domi farra, & majoris glandis acervos.
 Tam venerabile erat, præcedere quatuor annis;
 Nunc si depositum non inficietur amicus,
 Si reddat veterem cum tota ærugine follem,
 Prodigiōsa fides, & Thuscis (e) digna libellis
 Sunt qui fortunæ jam casibus omnia ponunt,
 Et nullo credunt mundum rectore moveri,
 Atque ideò intrepidi quæcunque altaria tangunt.
 Est alius metuens, ne crimen pœna sequatur,
 Hic putat esse Deos, & peierat, atque ita secum:
 Decernat quodcunque velit de corpore nostro
 Isis (f) & irato feriat mea lumina listro,
 Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego nummos.

Hæ falsi Poëtæ querelæ etiam hæc tempora nostra petunt, quæ ab illa Majorum religione, candore, temperantiâ, justitiâ, modestiâ procul recesserunt. Apud illos quæcunque nefas erat facere, nefas quoque dicere: honor habebatur senibus, laboribus assuescebant juvenes; tum temporis inter agrestes non numerabatur, qui prandium cum fame finiebat: nec aliud erat linguâ promptum, aliud clausum pectore; contentus quisque suo, non invidebat alieno; marmoris cælati & rudis idem erat pretium; maximum vestigal ex parsimonia: honestas, pudor, frugalitas in dote ac patrimonio numerabantur. Juvenalis, Deorum sub larva, Magnates potissimum perstringit, apud quos generis omnis luxus, fraudes, fallaciæ; ambitio, odia sic invalescunt, ut merito Satyrici in eos torqueantur aculei, Horatius de posteris temporibus vaticinatur lib. 3. Od. 6.

Damnosa quid non imminuit dies?
 Ætas parentum peior avîs tulit
 Nos nequiores, mox daturos
 Progeniem vitiosorem.

Decrescunt hominum corpora, crescunt vitia, canente Satyrico:
 Terra malos homines nunc educat, atque pufillos.

E 2

III. (e)

(e) *Thuscorum aruspicum libris.* (f) *Dea Ægypti.*

III. (c) Quia Astrææ seu Justitiæ facta mentio, plusculum de ea dicendum est. Aliqui volunt Jovis & Themidis (quæ Græcis idem quod *fas*) esse filiam: alij rege *Astræo*, viro justissimo (unde nomen habet) & *Aurora* natam scribunt; quidam *Icarium*, Oebali regis Laconia filium, & *Auroram*, parentes ejus faciunt, aiuntque ab ipsis *Erigonem* vocatam. De quo *Icario* memoratur, ipsum à *Libero* patre utrem vini accepisse, ut ejus usum cum mortalibus communicaret; qui in *Atticum* agrum sese contulit, ibique pastoribus, qui æstu solis sitim contraxerant, vinum propinavit: hi cum novo potûs genere delectati, largiùs hausissent, altissimòque primùm somno, dein & crapula correpti essent, toxicum sibi datum rati, *Icarium* interfecerunt, occisumque in puteum projecerunt. Aderat fortè *Icario* canicula, nomine *Mæra*, quæ ad *Erigonem* reversa, vestem ejus mordicus arripuit, illamque sequentem ad patris cadaver perduxit: quæ tantum ex paterna nece dolorem concepit, ut mala multa ejus percussoribus imprecata, laqueo vitam finierit. *Mæra* quoque tam heri, quàm filia herilis desiderio contabuit, Jovisque miseratione in cœlum translata, in *Canicula* stellam (quæ à Græcis, quod ante majorem *Canem*, de quo symbol. 42. agemus, oriatur, *πρωκύων* appellatur) conversa est. *Icarius* autem in *Bootem*, *Erigone* in *Zodiaci* signum, quam *Virginem* nominamus, abiit. Pingitur *Astræa* erecto corpore, oculis velatis, dextra bilancem pondere æquatam, lævâ *scipionem* aut *virgam* tenens, ut hac veluti mensurâ æquet omnia. De ea ex *Chrysippo* *Gellius* lib. 14. c. 4. Forma atque habitu est virginali, aspectu vehementi, & formidabili luminibus oculorum acribus, neque humilis, neque atrocis, sed severæ cujusdam tristitiæ dignitate. Ex imaginis autem istius significatione intelligi voluit *Judicem*, qui justitiæ antistes est, oportere esse gravem, sanctum, severum, incorruptum, inaudabilem, contraque improbos, nocentesque immisericordem, atque inexorabilem, erectumque & arduum, ac potentem vi, & majestate æquitatis, veritatisque terrificum. Hæc *Gellius*.

De eadem *Claudianus*:

Pax avibus, quacunque volat, rabiemque frementes
Deposuerunt feræ: lætatur terra reverso
Numine, quod prisca post tempora perdidit auri.

Et *Seneca* in *Octavia*.

Neglecta terras fugit ac mores feros
Hominum, & cruenta cæde pollutas manus

(c) *Astræa imago & officium.*

Astræa

Astræa Virgo, siderum magnum decus
De hac eadem Epigramma.

Libra Diem, Noctemque pari discrimine ducit,
Non plus ille tenet, non habet ista minus.
Judicis est æquâ trutinâ suspendere, nigram
Sive Dies, albam Nox referatve notam,
Vicinas nimum sed torquet scorpio chelas,
Et trahit amplexu pondera justa libræ

Ubi alluditur ad æquinoctium autumnale, quod existit Sole ingre-
diente signum Libræ. Scorpium autem signum cœleste adeo portendit
sua brachia, ut Libram stringere videatur: quod illis est notandum, qui
causas vel judicant, vel agunt, ut ne brachia sua, id est, habendi cupi-
ditatem plus æquo extendant, & quasi manum Libræ seu Justitiæ inji-
ciant, alteramque lancem nimis attollant, alteram nimis deprimant. Vir-
gilius Augustum Cæsarem in cœlo collocaturus, locum ei assignat. 1.
Georg.

Quà locus Erigonem, inter chelâsque sequentes
Panditur, ipse tibi jam brachia contrahit ardens
Scorpium, & cœli justa plus parte relinquit.

Atque hoc ethicè. Quis enim locus convenientior Principi, quàm
qui medius inter Libram, id est, æquitatem, moderationem ac Justitiam;
& Scorpium, venenum in cauda habentem, ictuque lethifero ferientem:
per quod, Pierio teste, designantur doli, fallaciæque, quibus, nisi Prin-
cipem prudentia contra insidias obarmet, facillè circumveniatur. Di-
citur autem Scorpium brachia contrahere, & cœli regionem amplam per-
mittere, quod contra virtutem nihil valeat fraus & nequitia.

Pingitur etiam Astræa altera manu gladium, altera spicas præferens,
cum lemate: *Pacem & bella fero.* adjunctum epigramma hoc:

Infames vitij terras Astræa reliquit,
Sidereoque suos fixit in orbe lares.
Non tamen aut gladium dextrâ, vel spica lævâ
Hinc fugiens posuit munera Virgo manu.
Mitis & ulciscens ex alto despicit, utrum
Jura colant homines, Rura colantque boves.